et detinuissem libros predicatoris. Reuersi itaque ex itinere: ceperunt predicare uerbum domini. Ad quorum predicationem plurimi iudeorum atque gentilium illuminati: crediderunt in dominum ihesum christum. Expleta namque predicatione. statuerunt ire ad predicandum in orientem. ut tunc [illegible] ad cyprum: ut uisitarent ecclesias in quibus uerbum domini predicauerunt. Sed beatus barnabas exorabat. ut prius iret cyprum ad uisitandos parentes suos: et postea communiter iherusalem pergerent. Inter hec autem angelica uisio per noctem facta est beato paulo apostolo dicens. Celerius propera iherusalem nec moram facias: quoniam quidem fratres ualde prestolantur aduentum tuum. Quod cum beato barnabe panderet: ait beatus barnabas. Quia uoluntati dei contradicere non expedit: fiat uoluntas eius. Tantum obsecro intercede pro me ad dominum: ut deprecatio mea fiat acceptabilis in conspectu eius. secundum deuotionem qua famulati sumus in ministerio quod datum est nobis. Nunc autem propero cyprum: ibique finem compleo uite. faciem tuam heu pro dolor corporaliter ultra non uisurus. hec proloquens procidit ad pedes eius. et fleuit diu amare. Cuius dolori beatus paulus condolens. noli inquit me

rum. Tu autem perge iherusalem ad loca sacra uisitanda. Tunc positis genibus orantes et osculantes nos ad inuicem: ualefecimus. Et nauigantes descendimus laodiciam. deterrantes ut pergeremus cyprum. Deinde uenimus in ciuitatem que uocatur anemoria: in qua inuenimus uisos uiros quinque ethnicos. tam sagacitate pollentes. Quos cernentes: sagaciter interrogare ceperunt dicentes. O uiri qui estis. unde et quo. uel que res uos attulit in nostris oris? Animaduertens autem beatus barnabas illorum sagacitatem: sagaciter eis respondere studuit. Si nosse inquit cupitis qui sumus. unde et quo. et quamobrem uenimus: scitote quia famuli sumus domini ihesu christi. creatoris celi ac terre. Venientes ab iherosolimis. pergimus ubique ad predicandum nomen eius. quia ipse est filius dei omnipotentis: et qui credit in illum non morietur. sed uitam recipiet sempiternam. Verumtamen si hoc cognoscere cupitis. exuite uos uestimentis que ueterascunt et pereunt. et induimini uestibus que non pereunt. sed splendide et gloriose permanent in eternum. Hec audientes. attoniti ualde compuncti sunt corde: admirantes et dicentes. Mira res quam dicitis. Quis enim deus potens. qui talia